

Sed hæc verorum Reformatorum est sententia, quod sola Scriptura sacra, in genere auxiliorum mediorum & instrumentorum externorum, à Deo sit data & ordinata in Regulam & normam ordinariam, & in se infallibilem, assequendi verum & indubitatum Spiritus Sancti, de rebus credendis & faciendis, sensum: & quod homo irrogenitus & hypocrite, lumine suo naturali illam scrutans, naturaliter vanè & profanè, juxta capacitatem & vigorem intellectus sui, etiam verum Spiritus Sancti sensum possit assequi, sicut bos equus & canis agnoscit dominum suum, ejusque vocem & loquelam intelligit, non tamen ut servus vel ancilla: quodque homo regenitus illuminatus & sanctificatus, supernaturali lumine gratiæ, eam scrutans, cooperante Spiritu Sancto, supernaturaliter, verè, & pro ratione progressus sui in schola Christi, perfectè, cum veris suis consequentiis, verum Spiritus sancti sensum assequi possit & assequatur, ut Lydia, cum ei Dominus cor aperiebat *Act. 16. 14.*

CXX, Autor verè dictus suam mentem sic explicat *pag. 40.* Hoc solum volumus, Scripturam in plerisque, & præcipuè in maximè necessariis fidei capitibus sui ipsius Interpretem esse: ast certam & infallibilem semper esse hanc interpretandi normam non dicimus, sed prærogativam illam soli Spiritui Sancto attribuimus. Hæc ille. At quæso an Scriptura sacra unquam ex se potest fallere? Et si non potest, annon ignominiosum est Scripturæ sacræ & Spiritui Sancto, ejus auctori, pro cujus honore asserendo, contra Exercitorem Paradoxum Autor hic depugnat, negare quod Scriptura semper sit certa & infallibilis? & sic affirmare, quod aliquando sit incerta & fallibilis interpretandi norma? Si dixisset, inscitiam, sophisticam, præjudiciis aut etiam malitiâ Interpretum sæpe fieri, ut, Scripturarum inter se collatione, verus certus & infallibilis Spiritus Sancti sensus non eruatur: id verè, & citra contumeliam Scripturæ, dictum esset. Nunc verò Scripturas culpant, quod Reformati, quibus videri vult consentire, non faciunt. Hic ergo Scriptor in eo non cum Reformatis, sed cum Enthusiasticis facit, quod dum Spiritus Sancti magisterium vult efferre, Scripturæ, à Spiritu Sancto profectæ, adeoque Spiritui Sancto, in Scriptura loquendi, derogat,